



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Vt de sero conscientiam suam examinet. 49

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARITAE EVANG.

ris est anima mea vsq; ad mortem: cuius etiam
tristitia causam diligenter pensabit, eaq; simul
cum ipso ad montē Oliueti, & ibidem in loco
prius occurrente genua flectens, Deum in spiri-
tu adoret, & cū perfecta resignatione in potissi-
mū Dei beneplacitum sese offerat ac resignet, &
seipsum intus & exterius diligētissime obseruet
& quodcumq; intus vel foris in aliquo se deli-
quisse aduerterit, absque mora per acerbissimā
Christi passionem veniam ac indulgentiam po-
stulet: idq; potissimum tempore vespertino.

Qualiter de sero conscientiam su-
am examinare, & veni-
am petere debeat.

Cap. XLIX.

Porro, de sero anima deuota sese introuen-
re debet, & omnia interiora sua discuti-
endo aduertere, qualiter admonitiōes diuinas,
& instinctum spiritus sancti secuta fuerit, siue e-
isdem restiterit: an etiam lumen siue reprehensi-
ones conscientiaē extinxerit vel eis aduersata fue-
rit: an etiam aliquo membro recesserit a viuo
speculo veritatis: & an exterius etiā aliquid sta-
tutum, siue ordinationem transgressa sit: vtrum
etiam aliquem verbis vel operibus laeserit siue
impedierit: an per detractionem alicuius famam
minuerit, aut aliquem in re qualibet despexerit:
vtrum etiam aliqua in re delectationes carnis,
concupiscentias oculorum aut superbiam vitæ
occulte, quasi sub specie boni, secuta sit, siue in
verbis, siue in operibus, in eūdo vel stando, co-
medendo siue bibendo: vtrum in omnibus ope-
ribus vel dimissionibus suis, Deum pure quæsi-

LIBER II.

erit atque dilexerit: vel suā potius sensualitatem ac delectationem aequaliter occulte quæsierit et secuta sit. Radix namq; corruptæ intentionis profunde nimis in fundo cordis abdita iacet. Ideoq; si coram Deo recta & pura esse debeat intentio, ipsi fundo cordis vigilantius est intendendum. Vtrum denique aliquid per quinque sensus suos intrare permiserit, quod animæ pacem turbauerit, eaque grauarit. De his igitur alijsq; defectibus quos in seipso quotidie vnusquisque deprehenderit, & in quibus se reum agnouerit & excessisse aduerterit, humiliter veniam postulare, & a Deo gratiam petere debet, orans ipsum, vt per amarissimā passionē suā ipsius misereri, & per eandē pro omnibus peccatis ipsius satisfacere, omnesque negligentias eius supplere velit: vtq; per merita sauciati corporis sui, dolorosæ animæ suæ, & gaudiosi spiritus sui se in corpore, anima & spiritu mundum & aptum facere, et esuriētem animam illius reficere, & in se totaliter transformare dignetur.

Qualiter cum Deo ad requiem ire debeat.

Cap. L.

Deniq; ad quietem sese homo positurus, inclinare & includere debet in intimo spiritus cubiculo, et exuere ac nudare se de omnibus præteritis rebus & occupatiōibus, quæ eum maxime (quā primū cogitationē suā in Deum dirigere debet) impedire possent, inclinabitq; sese, & collocabit in vnionē diuinæ pacis, et in brachia vbi æterni, eiusq; se amarissima passiōe teget. Et tunc cum sponsa dicere poterit: Ego dormio, & cor meum vigilat. Et: In lectulo meo per noctes

V iij - quæsius,